

lis, & Decretis in genere, vel in specie, & ad quorumvis instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium eorum premissorum concessis, ac etiam pluries approbatis, confirmatis, iteratis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcunque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, occasiones, & causas, etiam quantumvis pregnantibus, piis, & privilegiatis, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & inferrentur, iisdem presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, & exactissime adductis respective habentes, illis autem alias in suo robore permanens, ad premissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, plenissime, & sufficienter hac vice dumtaxat derogamus, ac derogatum esse volumus, & mandamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.29. Nulli omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum erectionis, foundationis, constitutionum, approbationum, confirmationum, innovationum, roborationis, destinationis, assignationum, stabilimenti, concessionum, applicationum, unionum, appropriationum, aggregationum, incorporationum, additionis, voluntatum, mandatorum, sanationis, supplementationis, Decretorum, Statuti, Indultorum, perfectionis, deputationis, commutationis, & derogationis, aliorumque premissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo, tertio decimo Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

L XI.

Confirmatur Decretum Congreg. Ep. & Reg. approbans quedam Statuta pro tribus Cœnobus Recollectionis Provinciæ S. Michaelis in Batia Tertii Ord. S. Francisci.

Inn. XI. Const. ed. 1685, Apr. 16, P. 9. extat Decretum aliud circa electionem Officialium. Et huius Pontificis Const. ed. 1693, Nov. 19, P. 3 confirmatio erectionis præd. Cœnobiorum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciæ S. Michaelis in Batia Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium propositæ exposito, quod ipsi alias tres Conventus Recollectionis nun-

Secundæ præd. condita fuerit a Diffinitorio Provinciæ.

cupatos in eadem Provincia crexerant ad hoc, ut ii Religiosi, qui in eo secessu vitam transigere, ac Altissimo absque ulla perturbatione famulari cupiebant certos, & determinatos Conventus haberent; verum, quia pro felici Recollectionis huiusmodi directione nullæ aderant specialiter constitutæ Leges, Diffinitorium d. Provincia ad tam salutarem Institutionem constabiliendam iuvandosque eorum, qui eam amplexi fuissent, in via Domini progressus, nonnulla ediderat Statuta tenoris, qui sequitur, videlicet.

Constitutiones pro Conventibus Recollectionis Provinciæ Andaluçiæ Religionis Tertii Ordinis Penitentia S. Francisci, videlicet Conventus Domina nostra Canonicos Sanctos fundatis intra terminos Ville de Olvera Diocesis de Malaga, Conventus S. Joannis Baptista de Moranina intra terminos Ville de Bollallos del Contado; ac Conventus S. Joannis Baptista de Alfarache extra muros Batice, ambo Diocesis Batice Archiepiscopatus.

In primis. Ut illa castitudo sanctissimæ paupertatis conservetur, ordinamus, & statuimus, ut Communitas obligata maneat ad providendum quæque necessaria singulis Religiosis præmemorata Reformationis, quin aliquis ipsorum nec sub necessitate prætextu absque Provincialis speciali licentia, possit ad ullius rei usum, habere recursum.

Secundo. Quod constitutur in quovis Conventu locus, ubi cuncta necessaria pro Regulari vestitu reponantur, videlicet habitus, pallium, tunica, Tunicella, & cætera sic.

Tertio. Statuitur ut taliter in hisce honesta nuditas, ac seraphica paupertas observetur, quod nullus Religiosus pluribus induatur, quam interiori una lanæ tunica, tunicella una, femoralibus de lino, habitu latitudinis sexdecim palmorum, talari, ut in Regula præscribitur; ac mantello ad habitus proportionem abbreviato, & quoad calceamenta singuli portabunt sandalios usque ad calcaneum apertos.

Quarto. Statuitur, ut Religiosi in Cellis rebus curiosis, aut ornatum confruentibus non utantur; itaque dumtaxat habebant Crucem ligneam, tabulatum, aut arundineum lectulum, duo stragula, unum pulvinar, duas sedes humiles, parvulam unam mensam, & circa librorum usum, eos apud se habere poterit, quos juxta exercitium, & capacitatem Rev. Patris Provincialis sufficientes censuerit.

Quinto. Statuitur, ut Religiosorum nemo per se, aut per interpositam personam possit retinere Missarum elemosynam, sed debeat quæcumque eam Prælato manifestare, & exhibere, & tunc Prælati ei facultatem præstabit, ut illas Missas juxta declaratam necessitatem applicet.

Sexto. Statuitur, ut in Matutinis mediæ nocte inviolabiliter per singulos dies Deum benedicant, quin in toto Anni curriculo aliquando dispensetur tam celestis hora, in qua a Regalibus Sedibus Altissimus venit, inter Sacratissimæ Virginis brachia primus intonuit, surgens in requiem suam, & noctem sicut diem illuminare monstravit. De cætero Divinum Officium paulatim, reverenter, ac devote recitetur, nec ulla dies absque Missa Conventuali pertranseat.

Sep-

Septimo. Statuitur, ut in singulis diebus per duas horas Oratio mentalis exerceatur. Prima hora ante primam, & secunda hora post Completorium, & insuper ad prædictarum horarum perfectionem expeditionem uniusquisque intra Cellam suam in profundo silentio solus maneat, ante Completorium per unam horam, & ante Missam Officii, & per aliam.

Octavo. Statuitur, ut Religiosi, quam minus possint e Domo egrediantur, nec nisi a quindena in quindena alicui licentia præbeatur.

Nono. Statuitur, ut per totum annum disciplinam habeant feria secunda, quarta, & sexta exceptentur tamen præsignati dies, si cum solemnibus festivitibus concurrant. Monemus, necnon quod si aliquis Religiosus Divino fretus auxilio, austeriorem vitam, & carnis mortificationem vellet amplecti, ne propriæ voluntatis fere imperceptibili laqueo cingens se pereat, ante omnia Prælatum localem consulta, ejusque nutui se subiacet, ut alius cingat eum, & ferat quo non Satana, sed Deo proficiat.

Decimo. Statuitur, ut nec R. P. Provincialis, nec R.P. Commissarius Visitator possint mittere ullum Religiosum, ut in prædictis Conventibus commoretur, quin prius consiterit eis de exemplari vita, & spiritu probato Religiosi commoratori, nec Prælati locali eum commorantem habeat, nisi supposita approbatione Religiosorum etiam per vota singulorum exhibita.

Undecimo. Statuitur, ut nullus Religiosus possit eligi in prædictorum Conventuum Guardianum, quin prius laudabiliter per duos annos continuos in eis vitam eorum communem duxerit.

Duodecimo. Statuitur, ut nullus Religiosus, ob vitam improbam, poenitentia correctus, nunquam a Superioribus Prælati ad commorandum in præfatis Conventibus mittatur.

Tertio decimo. Statuitur, ut post prandium, & cœnam tam benedictio, quam gratiarum actio decantetur, itaut post prandium ad Ecclesiam cuncti Religiosi eant, prout in hac nostra Provincia consuetum est, ac deinceps recitantes Psalmum Misere mei &c. regrediantur ad abstergendum scutellas, in quibus manducaverunt.

Quarto decimo. Statuitur, ut in singulis sabbatinis diebus omnes Religiosi post vesperas conveniant ad scopandum Conventum, & Ecclesiam, atque tunc ad purificandum Altaria.

Quinto decimo. Statuitur, ut in singulis hebdomadibus inter Religiosos conferatur, & dilucidetur aliquod punctum mysticæ Theologiæ, prout moris est.

Sextodecimo. Statuitur, ne prædicti Religiosi possint Terras colere, & in eis seminare, nisi tantum unum, aut duplex parvulum spatium in congruæ sustentationis subsidium, at neque id fiat, nisi ex gratis, & ad titulum paupertatis concessis, sicut decet paupertatis sanctissime fœdatorum, prout in Conventu de Caños Sanctos observatur.

Decimo septimo. Statuitur, ut in Refectorio, mensæ non exornentur mappis, sed duobus linteolis pauperulis pro mundicie cuiusvis Religiosi.

Decimo octavo. Statuitur, ut nemo cate-

rorum Religiosorum Provinciæ, possit apud tres Recollectionis Conventus remanere, nisi ut per aliquos dies a R. P. Provinciali deliberandos, serio spiritualia eorum exercitia sequatur, & dum aliquis sub alio fine, ac prætextu accedat, duobus transactis diebus subito recedere compellatur.

Decimo nono. Præcavimus, ut a secularium colloquio penitus Religiosi abstrahantur, quapropter dum hospites recipere opus sit, ad devote, & charitative eis necessaria ministrandum, dumtaxat adsit Pater Guardianus, aut Præses, vel loco ipsorum Religiosus modestior, a Patre Guardiano destinandus, & seligendus.

Vigesimo. Statuitur, ut nemo ad habitum induendum recipiatur, quin prius in præordinatis inferiendi Communitati exerceatur, si sit ad Chorum, per unum mensem, & per duos si sit ad Laicatum statum, & his peractis circa sufficientiam, & habilitatem pro statu suscipiendi singulorum vota sumantur.

§.1. Tandem ultimo statuitur, ut numquam, qui in præfatis tribus Conventibus habitum susceperant, ab eis ad cæteros Provincie Conventus transferantur, nisi gravi urgente causa, aut pro bono communi Provinciæ, verumtamen hæc approbata per Diffinitorium una cum Superioris Generalis licentia, & quicumque hanc Regulam sequuti fuerint Pax super illos.

§.2. Ac proinde pro parte eorumdem Ministri Generalis Custodis, & Diffinitorum prædictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut trium Conventuum huiusmodi erectionem, sive assignationem, sicut præmittitur factam, necnon statuta præserta confirmaret, emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris sequentis, videlicet = Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta relatione Eminentissimi Cybo Ordinis Sancti Francisci apud Sanctam Sedem Protectoris, referente Eminentissimi de Laurea, censuit supra scripta statuta esse approbanda, prout presentis Decreti vigore approbat, atque confirmat. Rome 5. Junii 1693. = G. Cardinalis Carpeneus = A. Altovitus Secretarius.

§.3. Cum autem, sicut præfati Ministri Provincialis, Custos, & Diffinitores Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communitari plurimum desiderant. Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus porrectis inclinati, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

§.4. Decernentes ipsas præfatas literas semper

Decretum Congregationis.

Proces Superiorum minorum.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula per

go Andalusie nec non Navarra: & quatenus opus sit, remotionem, abolitionem, & Nostras literas hujusmodi ad supradictas Provincias Beticas, & Navarrae auctoritate, & tenore prefatis extendimus, & ampliamus. Præterea eadem auctoritate harum serie decernimus, quod vice, & loco prædictorum Discretorum in tribus Provinciis hujusmodi, sicut præmittitur sublato, & abolorum, Diffinitores, atque Custodes, & immediatus Exprovincialis earumdem Provinciarum in ipsarum respective Diffinitoris, & Capitulis votum habeant, dislarumque Provinciarum Capitulo de feskiano in feskianum deinceps celebrari debeant.

Clausula.

§.2. Decernentes pariter easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Quocirca Venerabili Fratri Friderico Archiepiscopo Mediolanen. moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios ipsas presentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate Nostra illos, & eorum quemlibet presentium literarum, & in eis contentorum eorundem commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, & censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellacione postposita, compescendi, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, poenas ipsas etiam reiteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii secularis.

§.4. Non obstantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris pariter Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium in Judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, aliisque quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; nec non omnibus, & singulis illis, quæ in literis præinsertis concessimus non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis. eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra il-

lud habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XII. Sept. MDCXCIII., Pontif. nostri Anno Tertio.

LXVI.

Confirmatur Decretum Universitatis Tonsorum de Urbe contra venditores suarum Tonsurarum.

Dat. 25. Sept. 1693. An. 3.

A Clem. XI. Const. ed. 1712, Maji 12, P. 12 confirmantur statuta hujus Universitatis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nuper fecerunt dilecti Filii Consules, & Universitas Barbitonsorum Almae Urbis Nostræ, quod cum, non sine gravi eorum artis detrimento sepe contingat a nonnullis Barbitonsoribus sub prætextu, quod dictam Artem relinquere & sine in Patriam redire, sive Principum, vel aliorum Primariorum Virorum servitii sese addicere velint, suas Tonsuras, prout est Adventorum ad eas frequens numerus, quanti plurimi vendi: postea vero in fraudem Emptorum novas Tabernas Tonsorias, aliquando quidem sub specie Balnei, seu Stufæ, revera tamen non nisi ad ea, quæ Barbitonsoribus sunt, inibi exercenda aperiri, atque illuc Tonsurarum a se venditarum Adventores abduci; Consules prædicti præmissis consideratis, quò via dolis, & fraudibus hujusmodi in posterum obstruatur, vigore facultatis sibi ad id per speciale Rescriptum Nostrum attributæ, una cum nonnullis, aliis ejusdem Universitatis Officialibus, novissime statuerunt, sive decreverunt, ut de cetero suarum Tonsurarum Venditoribus novas Tabernas Tonsorias, etiam sub specie Balnei, seu Stufæ non nisi post duos annos a die, quo suas Tonsuras prædictas vendiderint, aperire liceat, ita ut pro tempore existentes Consules dictæ Universitatis Tabernas illas, quæ contra statuti, seu Decreti prædicti formam aperte fuerint, claudi facere valeant; ipsis tamen suarum Tonsurarum hujusmodi Venditoribus unam ex Tabernis Tonsoribus antiquis, quæ a Tonsura vendita intervallo ducentarum saltem Cannarum, mensuræ Romanæ distet, emere minime prohibuitur intelligatur.

Causa Decret.

Decretum prædictum prohibet venditores aperire novas Tonsuras ant. 2. biennium, & intra spatium 200. canarum.

Preces Universitatis.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes statutum, seu Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderant: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc Nobis humiliter porrectis inclinatis, statutum, seu Decretum prædictum a supradictis Consulibus factum, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apo-

Confirmatio velati Decreti

Apo-

Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.2. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Universitatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, ac de verbo ad verbum expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XXV. Sept. MDCXCIII., Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXVII.

Declaratur, & ampliatur Clem. X. Constitutio pro Collegiis S. Fidei & Quiten: Societatis Jesu in Indiis Occident. de conferendis, tanquam in Universitate, Doctoris, Licentiat, & Magistri gradibus.

Dat. 28. Sept. 1693. An. 3.

Const. ed. 1693, Septem. 1, P. 3 concessa fuit facultas conferendi gradus in quacunque arte, & disciplina.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa Constitutionis Clement. X. quæ graduati in ead. Collegiis censentur eam quam graduati in Universitatibus.

Alias se: re: Clementi PP. X. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Rectorum Collegiorum Civitatum Quiten. & Sanctæ Fidei novi Regni Granatenfis in Indiis Occidentibus Societatis Jesu, ac Præceptorum studiorum earumdem Civitatum exposito, quod cum in Regnis Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Regi Catholico subjectis una ex qualitatibus quas habere debebat, qui volebat per concursum obtinere Canonicatum, & Præbendam Doctoralem, vel Magistralem Cathedralium Ecclesiarum distorum Regnorum, hæc esset, quod lauream Doctoratus, Licentiatuæ, vel Magisterii accepisset in aliqua studiorum Universitate, vel in Collegio Sancti Clementis Bononien. per bo: me: Ægidium Albertinum, dum vixit S.R.E. Cardinalem fundato, prout in literis se: me: Sixti IV. & Leonis X. Romanorum Pontificum prædecessorum pariter Nostrorum desuper emanatis, uberius dicebatur

contineri: In dicto autem novo Regno Granatenfi nulla adesset Universitas studiorum, tam Sacrorum Canonum, & Juris Civilis, quam Theologiæ, & propinquior Universitas esset in Civitate Limana Regni Peruvani, quæ per quingentas a Sanctæ Fidei, & per trecentas a Quitenfi Civitatibus præfatis leucas respectively distabat. Et dilecti quidem filii Clerici Regulares dictæ Societatis in eisdem Civitatibus Quiten., & Sanctæ Fidei artes, & Theologiam docerent, ac Præfectos Studiorum ibidem vigore facultatis a pia me: Gregorio PP. XIII. etiam Prædecessore Nostro per quasdam suas literas incipien: Quanta in vinea Domini, Anno Incarnationis Dominicæ 1578. nonis Maji emanatis concessæ promoveret ad gradus Philosophiæ, & Theologiæ, ac lauream Doctoris, Licentiat, & Magistri quibuscumque in Scholis distorum Collegiorum studentibus conferret; verum dicti studentes a præfato Præfecto studiorum, ita graduati, & laureati si vellet concurrere ad Canonicatus, & Præbendas Doctorales, vel Magistrales supradictarum Cathedralium Ecclesiarum oppositionem haberent, sub prætextu, quod non essent juxta dictas Sixti, & Leonis Prædecessorum literas in Universitatibus, vel in dicto Collegio Sancti Clementis Bononien. Graduati, & alii concurrentes idcirco illos a concursu excludere tentarent: inde fiebat, ut studentes dicti novi Regni Granaten., quo gradibus hujusmodi decorarentur, longum iter ad memoratam Universitatem Limanam Civitatibus prædictis, ut præfertur propinquioribus suscipere, magnosque sumptus facere, ac etiam multis maris, terraque periculis se se exponere cogerent. Et in eadem expositione subjuncto, quod prædictus Leo Prædecessor supradictas Sixti Prædecessoris literas, quæ ad graduatos in Universitatibus studiorum restrictæ erant, ad graduatos in dicto Collegio Sancti Clementis Bononien. extenderat, dicti vero Rectores Collegiorum, & Præfecti studiorum earumdem Civitatum eadem literas ad graduatos in dictis Collegiis Quitenfi, & Sanctæ Fidei pariter extendi plurimum desiderabant, quo in his Collegiis laureati, & graduati ad Canonicatus, & Præbendas Doctorales, & Magistrales prædictos concurrere valerent. Idem Clemens Prædecessor supplicationibus distorum Rectorum, & Præceptorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatis, auctoritate Apostolica indultit, & declaravit, ut laureati in prædictis Collegiis Societatis Jesu, donec aliqua publica Universitas proximior erecta fuisset, ac si in publicis Universitatibus conferentur laureati, ideoque capaces ad obtinenda quæcumque Beneficia hujusmodi gradum publice Universitatis ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum, & Sancti Concilii Tridentini requirementa redderentur, & alias prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 30. Maji 1674. expeditis, quarum tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus uberius continetur.

§.1. Cum autem sicut dilecti filii moderni Rectores, & Præfecti studiorum Sanctæ Fidei, & Quiten. Collegiorum prædictorum Nobis nuper exponi fecerunt, præfate Clementis Prædecessoris literæ ad eos, qui in artibus, sive Philosophiæ, & Sacra Theologia dumtaxat

Causa de declarationis, & ampliacionis.

S s 2

Docto-

ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§.2. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie, absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinatis, de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Consilio, veris existentibus narratis, indultum a memorato Clemente predecessore ad artes, & Sacram. Theologiam restrictum, ac ad decennium tantum concessum, ut praesertim, generaliter, & indistincte absque ulla temporis praefinitione ad omnes scientias, quae in Collegiis supradictis edocentur, auctoritate praedicta tenore presentium ampliamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Extraño In doli ad omnes gradus scientiarum, & in perpetuum.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quae supradictis Clementis predecessoris literis concessa sunt non obstante, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die I. Septembris MDCXCIII., Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXIV.

Declarantur nulla Fidei Praetoris Cremonen. de celebratione Festi S. Dominici.

Eadem declaratio habetur contra Senatum, & Gubernatorem Mediolanen. Inn. X. Const. ed. 1653, Octob. 6, Inn. XI. Const. ed. 1678, Nov. 28, P. 3. nulla declarata fuisse acta Concilii Regii Castellae contra Nuntium Apost. Et Clem. XI. Const. edita 1706, Jan. 16, P. 6. reprobantur acta Curiae saecularis contra Episcopum Carthaginen.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex aequi bonique Supremus Assessor in Terris a Domino constitutus,

Exordium.

Ecclesiasticae potestatis jura facta tecta tueri, ac adversus quaecumque, per quae illis aliquid detrimenti inferri posset, tradita sibi divinitus auctoritate vindicare tenetur, sicut omnibus auctoritate considerationis trutinatae aequitati & Justitia, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitratur.

§.1. Alias siquidem per fel. rec. Innocentium PP. X. Praedecessorem nostrum accepto, quod Senatus Mediolanen. per Literas circulares datas die 20. Junii 1653., necnon tunc existens Gubernator Status Mediolanen. per Edictum publicatum die 30. ejusdem Mensis Junii mandaverant observari festum Sancti Dominici die quarta mensis Augusti cujuslibet anni in toto illo statu, praecipientes, ut Populi, & Subditi ejusdem Status abstinere ab operibus servilibus, & Artifices tabernas, & apothecas clausas tenerent, prout servatur ceteris diebus festis ex praeccepto, & ulterius in Edicto praedicto expressum fuerat, festivitatem esse celebrandam cum omni devotione, & pietate Christiana. Idem Innocentius Praedecessor considerans, quam perniciosum auctoritati Ecclesiasticae id esse posset, cum Principes laici, quos in rebus Ecclesiae obsequendi potius manet necessitas, quam auctoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies festos in honorem Sanctorum, de tunc pariter existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum, quibus negotium discutiendum commiserat consilio, praefatas Literas, ac Edictum emanata auctoritate laicali super observatione festivitatis ejusdem Sancti Dominici fuisse, & esse omnino nulla, nulliusque roboris, & momenti, nec aliquo modo servanda Apostolica auctoritate declaravit, & alias prout in ipsis Innocentii Praedecessoris desuper in simili forma Brevis die 6. Octobris 1653. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus uberius continetur.

Idem tenore fuerat a Senatu, & Gubernatore Mediolanen. 1653. contra quos Inn. X. Const. ed. 6. Octob.

Declaratio praed. cum revocatione dd. Edictorum, aliorumque gestorum.

Clausula.

§.2. Cum autem, sicut ad Apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri dolore pervenit, modernus Praetor Civitatis Cremonen. non modo per suum Edictum nuper, videlicet die 28. Julii proxime praeteriti promulgatum, iisdem circularibus Literis Senatus Mediolanen., quas memoratus Innocentius Praedecessor, sicut praemittitur, nullas declaravit, potissimum inharens festum ipsius Sancti Dominici in Civitate Cremonen. praefata, ejusque districtu, ita de cetero singulis annis celebrari ordinaverit, ut Mercatores, & Artifices omnes eo die Officinas suas clausas tenere, ceteri vero quicumque operum publicorum cessatione festum hujusmodi iisdem modo, & forma, quibus reliqua ex praeccepto colenda festa celebrantur, observare deberent, verum etiam quasdam subinde super praemissis Curiae Episcopalis Cremonen. iussu publice affixas schedulas, quibus ne propter eadem praemissa conscientias Christiane fidei scrupulis irretiri contingeret nullam in festo praefato adesse obligationem audiendi Missam, sed illud pro festo ex sola devotione colendo habendum esse cavebatur per Curiae Saecularis satellites e locis, ubi affixae fuerant divelli, ac lacerari curaverit, necnon insuper per aliud Edictum postmodum nempe die 3. Augusti etiam proxime praeteriti Curiae Cremonensis nomine publicatum praecedens Edictum, nonnullis

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die I. Septembris MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXV.

Declaratur & ampliatur Constitutio abrogationis Discretorum ad Provincias Baticae, & Navarrae FF. Capuccinorum, cum nonnullis Ordinationibus.

Dat. 12. Sept. 1693, An. 3.

Laudata Constitutio edita fuit 1693, Mar. 29, P. 2. Et Const. ed. 1694, Apr. 5, P. 3. ampliatur ad alias Provincias.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanarunt a Nobis ad supplicationem Charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Literae in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet Innocentius Papa XII. Ad perpetuam rei memoriam. Nuper pro (reliqua vide suo loco) Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIX. Martii MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Constitutio laudata.

§.1. Cum autem sicut pro parte ejusdem Caroli Regis per praedictum Ducem denovo Nobis nuper expositum fuit in praesentibus Nostri literis trium Provinciarum Regnorum utriusque Castellae dicti Ordinis, nempe Castellae veteris, & Novae nuncupatae, necnon Baticae, & Navarrae Provinciarum distincta, & expressa mentio facta non fuerit, quinimo nec in eisdem literis provifum fuerit, quod loco supradictorum Decretorum Conventualium, sicut praemittitur, sublatorum, & remotorum pro tempore existentes earumdem Provinciarum Diffinitores, & Custodes, necnon is saltem, qui novissime in illis Provincialatus Officio respective functus fuerit, in earum Diffinitorius, & Capitulis Provincialibus votum, seu suffragium respective habere debeant quemadmodum ipse Carolus Rex pro peculiari suo in Ordinem praedictum devotionis affectu, commune ipsarum Provinciarum bonum promovendi studio ductus, Nobis supplicari fecerat: ac proinde opportunum in praemissis a Nobis provideri, nec non praeterea, quod in Provinciis praedictis Capitula Provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrari debeant, quemadmodum felic. record. Clemens, Papa X. Praedecessor Noster pro omnibus ejusdem Ordinis Provinciis per quasdam suas itidem in forma Brevis anno 1676. desuper expeditas literas praescripsisse dicitur decerni, & ordinari plurimum desideret: Nos pio ac laudabili dicti Caroli desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis per praedictum Ducem super hoc humiliter portectis inclinatis, de memoratorum Congregationis Cardinalium consilio auctoritate, Apostolica tenore presentium declaramus, remotionem, & abolitionem Discretorum Conventualium in Provinciis utriusque Castellae Fratrum Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Capuccinorum factas, ut praesertim, expeditaque desuper literas Nostros praesentibus, intelligendas esse, non solum respectu Provinciae utriusque Castellae, Veteris scilicet, & Novae, verum etiam respectu Provinciarum Baticae vul-

Preces Regis Catholici pro d. d. clariatione, & ampliatione.

Declaratio, & ampliatio C6. sicut in ad praed. Provinciarum Discretorum, quorum loco alii Supplices votum habent in Capitulis, quae celebrari debeant singulis sesquiannis.

per firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in pramissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Conventuum, Provinciae, & Ordinis praefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Augusti MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXII.

Extenditur Indultum Greg. XV. Hospitali S. Sixti de Urbe concessio ad Hospitium Pauperum Invalidorum de eadem Urbe.

Hoc Hospitali huic Hospitio unitum fuit Constitutione ed. 1693, Maii P.2. Et a Clem. XI. Constitutione ed. 1714. concessum fuit indultum reformatum absolventi a reservatione.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias emanarunt a felic. record. Gregorio Papa XV. praedecessore nostro ad favorem Hospitalis Sancti Sixti Pauperum mendicantium prope Pontem Sixtum nuncupatum de Urbe, literae in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur videlicet = a tergo = dilecto filio Gubernatori Hospitalis Sancti Sixti Pauperum mendicantium prope Pontem Sixtum de Urbe - Intus vero - Gregorius Papa XV. Dilecte filii salutem, & Apostolicam Benedictionem. Pietatis, & Christianae charitatis operibus, quae in isto Hospitali Sancti Sixti Pauperum mendicantium exerceri accipimus, inducimur, ut ea libenter concedamus, quae illius utilitatibus fore conspicimus opportuna: Cum itaque sicut dilecti filii Administratoris, & Officiales dicti Hospitalis nobis nuper

Dat. 28. Aug. 1693. An. 3.

Const. Greg. XV. qua assignantur Hospitali huic pauperum ab his ante mortem non indicata.

exponi fecerunt interdum reperiantur pauperes qui in dicto Hospitali recipiuntur, & recepti sunt pecunias, & alia bona mobilia non solum modo secreto in dicto Hospitali, sed etiam apud diversas personas possidere, nec illorum notitia, nisi secuto dictorum Pauperum obitu, haberi possit, coque casu saepius compareant eorumdem pauperum, parentes, sive haeredes ab intestato vel ex testamento in grave dicti Hospitalis praedicti. Nos indemnitati ejusdem Hospitalis quantum cum Domino possumus consulere volentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Tibi, ut pauperes, qui in Hospitali praedicto pro tempore recipiuntur, in actu eorum receptionis hujusmodi praecipiendo monere, ut si ipsi aliqua bona mobilia, vel immobilia possident illa indicent, alioquin, si non indicaverint eadem bona dicto Hospitali acquirere libere, & licite possis, & valeas, Apostolica auctoritate tenore praesentium, facultatem concedimus, & impartimur, & nihilominus omnia, & singula bona tam mobilia, quam immobilia ubilibet existentia per eosdem pauperes cum in ipsum Hospitali recipiuntur non indicaverint eidem Hospitali acquisita esse, & fore, dictique Hospitalis Administratores, & Officiales bonorum omnium hujusmodi corporalem, realem, & actualem possessionem dicti Hospitalis nomine apprehendere libere, & licite posse, nec eos desuper molestari, vel inquietari posse, praesentes vero literas validas, firmas, & efficaces existere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate, & tenore praedictis decernimus, & declaramus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die ultima Septembris 1621., Pontificatus nostri Anno Primo.

§.1. Nunc autem Nos Hospitali Apostolici Pauperum Invalidorum a Nobis in eadem Urbe instituti, cui nuper Hospitali S. Sixti hujusmodi cum omnibus, & singulis suis membris, juribus, & pertinentiis universis per alias nostras sub plumbo desuper expeditas literas univimus, aggregavimus, & incorporavimus, ac unum; idemque Hospitium, opusque pium constituimus, & facimus, indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione, nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, praesertim Gregorii praedecessoris literas ad favorem supradicti Hospitalis Sancti Sixti emanatas, ut praesertur, ad praefatum Hospitium Apostolicum Pauperum invalidorum, itaut omnia, & singula bona tam mobilia, quam immobilia ubilibet existentia per eosdem Pauperes invalidos, viros, scilicet, & mulieres in Hospitio hujusmodi, ejusque locis, & habitationibus tam de praesenti receptos, quam pro tempore recipiendos quomodolibet possessa, quae ipsi minime indicaverint, eidem Hospitali Apostolico, servata tamen praefatarum Gregorii praedecessoris literarum forma, & dispositione, acquisita esse, & fore intelligantur, tenore praesentium extendimus, & ampliamus.

§.2. Decernentes ipsas praesentes literas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque

Causa Extensis.

Extensio Indulti motu proprio facta.

Clausula.

que-

que plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac Hospitio praedicto in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & Curiae Camerae Apostolicae generalem Auditores, necnon Vicarium, Gubernatorem, & Senatorem Urbis, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictaque Camera Praesidentem Clericos, Thesaurarium, Generalem, aliosque Officiales, & Ministros nunc, & pro tempore quodcumque existentes, sublata eis, & eorum culibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus quatenus opus sit infra, & Cancellariae Apostolicae Regula de Juris quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictae Urbis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque Reformationibus, & novis additionibus, styli, usibus, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXVIII. Aug. MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXIII.

Extenditur Indultum Clem. X. conferendi nonnullos gradus in Collegiis Societatis Jesu Civitatum S. Fidei, & Quiten. in Indiis Occident. ad alios gradus, & in perpetuum.

Clem. X. Const. ed. fuit 1675, Apr. 17. Et hujus Pontificis Const. ed. 1693, Sep. 28, P.3. declaratum, & ampliatum praed. Indultum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias fel. rec. Clementi PP. X. praedecessori nostro pro parte tunc in humanis agentis Alphonsi de Alarios Presbyteri Regularis Societatis Jesu, ac Procuratoris Provinciarum Hispaniae, & Indiarum Occidentalium dictae Societatis expolito quod cum Metropolitana Sanctae

Fidei, & Cathedralis Quiten. Ecclesiae in partibus Indiarum consistentes duo Seminarium juxta formam, & dispositionem Decretorum Concilii Tridentini in Civitatibus Sanctae Fidei, & Quiten. respective creverunt, in quibus quam plurimi adolescentes sub cura, & Gubernio Clericorum Regularium Societatis praefatae educabantur, ac Linguae Latinae, Philosophiae, & Sacrae Theologiae studii in Collegiis Societatis, & Civitatum hujusmodi operam navabant, eosque in virtute, & doctrina progressus faciebant, & animarum saluti, & Conversioni Gentilium. (quorum in illis Regionibus messis multa, Operarii vero pauci) fructuose incumbere valerent, propinquior vero, nempe Limana studii Generalis universitas a Sanctae Fidei mille quingentis, & a Quiten. Civitatibus praefatis nonagentis milliaribus respective distabat, ac proinde Alumnorum Seminariorum praefatorum ad eandem Universitatem Limanam, propter locorum distantiam, viarumque incommoda, ac eorum paupertatem accedere nequibant, ut ibidem gradus Academicos consequerentur, unde flos juventutis earumdem Regionum ejusmodi honoris privati remanebat, non sine Ecclesiae, atque Reipublicae detrimento. Ideoque ipse Alphonsus plurimum cupiebat eidem Alumnis indulgeri ut absoluti studii, & praevio riguroso examine, Baccalaureatus, Magisterii, & doctoratus in Philosophia gradus a Rectoribus, Praefectis, & Magistris supradictorum Collegiorum suscipere valerent, quemadmodum rec. mem. Gregorius PP. XIII. etiam Praedecessor noster Alumnis Seminarium Romani per quasdam suas literas concessisse reperiebatur. Idem Clemens praedecessor supplicationibus dicti Alphonsi nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus per quasdam suas in simili forma Brevis die 17. Aprilis 1675. expeditas literas praefatis Alumnis Seminariorum Sanctae Fidei, & Quiten. Civitatum hujusmodi, ut praefatis studiis, praevioque riguroso examine, Baccalaureatus, ac Magisterii, & doctoratus in Philosophia, & Sacra Theologia hujusmodi gradus in Collegiis praedictis ab illorum respective Rectoribus, Praefectis, & Magistris suscipere, ipsique Rectores, Praefecti, & Magistri eisdem gradus dictis Alumnis, servata tamen ceteroquin memoratarum Gregorii praedecessoris literarum forma, & dispositione concedere libere, licite, & valide possent, & valerent respective ad decennium a die praesentationis earumdem Clementis praedecessoris literarum computandum auctoritate Apostolica concessit, & indulgit, & alias prout in ipsis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

§.1. Cum autem sicut dilecti filii Rectores, & Praefecti studiorum Sanctae Fidei, & Quiten. Collegiorum praefatorum, Nobis nuper exponi fecerunt in eisdem Collegiis non solum Artium, sive Philosophiae, & Sacrae Theologiae, sed etiam Decretorum sive Sacrorum Canonum lectiones habeantur, & ad animarum salutem, Ecclesiaeque utilitatem plurimum expediat Alumnos praedictos gradibus Academicis, etiam in Decretis, sive Sacris Canonibus hujusmodi post peracta studiorum curricula, decorari. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, &

Preces Superiorum Collegiorum.

Constit. Greg. XV. qua assignantur Hospitali huic pauperum ab his ante mortem non indicata.

Doctoris, Licentiat, & Magistri gradus in supradictis Collegiis susceperint, restricta videantur...

Proces Superiorum Collegiorum.

Declaratio ampliatio ad alios gradus.

Clausula.

§.2. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dicta auctoritate tenore presentium declaramus, Indultum a memorato Clemente Prædecessore concessum, ut præfertur intelligendum esse etiam de iis, quibus in Collegiis prædictis iidem gradus in Decretis, seu Sacris Canonibus supradictis collati fuerint. Et nihilominus quatenus opus sit idem Indultum ad eos, qui inibi dictos gradus etiam in Decretis, five Sacris Canonibus hujusmodi, sicut præmittitur, susceperint, servata tamen ceteroquæ prædictarum Clementis Prædecessoris literarum forma, & dispositione, auctoritate, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.

§.3. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Patris Apostolice Auditors judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in supradictis Clementis Prædecessoris literis concessa sunt non obstante, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earundem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostense.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXVIII.

Revocantur, & reducuntur ad formam ordinariam peculiaris Indulta testandi quibusdam Cardinalibus, aliisque concessa, servata tamen Clem: IX. eorundem Indultorum ampliatione.

Dat. 17. Oct. 1693. An. 3.

Const. ed: 1692, Junii 21, P. 1. extat reformatio circa donationes, & distributiones bonorum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel affines Romani Pontificis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

UT judicium Nostrium de vultu Dei prodeat & oculi ejus videant æquitates, acceptio-nem personarum, quæ apud eumdem Deum non est, nullis humilitatis Nostre suffragantibus meritis, sed quantum Nobis ex alto concessum est arcere impense studuimus, illamque etiam a quibusdam Indultis quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostriis concessa accepimus, seu quæ in posterum concedentur, congrua moderatione eliminare desideramus, nam cum unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, grave videri non debet, si qui in Ecclesia uni Domino famulantur, una eademque libertate congaudeant, & præsertim qui in eodem gradu sunt constituti, aliquando provis dis sanctionibus ad æqualitates reducantur, ut sicut pari dignitate præfulgent, dispari nimis privilegio, seu Indulto non distinguantur: Pondus enim, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.

Exordium.

§.1. Cum itaque præfati Prædecessores Nostri S.R.E. Cardinalibus, qui pro ipsius Ecclesie statu salubriter dirigendo assidue laborare non cessant, facultatem de fructibus Ecclesiasticis, & de bonis exinde, seu alias quæsitis disponendi tam in ultima voluntate, quam alias, & respective eorum hæredibus ab intestato in præmissis succedendi, sub quadam moderata, & congrua forma de benignitate Sedis Apostolicæ concedere consueverint: vice autem versa nonnulli ex iisdem Prædecessoribus hujusmodi moderationem, seu formam ampliatis, suis sive veris, sive adscitis Consanguineis, vel affinibus, & forsitan etiam nonnullis aliis S.R.E. Cardinalibus longe majora Indulta, & cum amplioribus facultatibus, modis, circumstantiis, clausulis, cautelis, & derogationibus concesserint; & propterea sicut aliis Nostriis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, decimo Kal. Julii expeditis Literis modum circa donationes, & reddituum Ecclesiasticorum distributionem in Consanguineos, vel affines Romani Pontificis pro tempore existentis inviolabiliter servandum salubri moderatione præscripsimus ita etiam hujusmodi Indultorum ampliationibus, differentis, ut præfertur inter eisdem S.R.E. Cardinales, hac Nostri speciali Constitutione occurrere, & opportune providere cupientes: Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia quæcumque, & singula Indulta testandi, seu alias disponendi, & respective ab intestato succedendi, omnibus, & singulis Cardinalibus, præfatorum Romanorum Pontificum Prædecessorum, qui illa concesserunt consanguineis, vel affinibus, seu illorum loco adscitis, vel adscitis, & forsitan etiam nonnullis aliis quomodocumque, qualitercumque & quandocumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, modis, caute-

Causa Constitutionis.

Revocatio, & reductio prædictæ Indultorum ad formam ordinariam motu proprio facta.

lis, circumstantiis, qualitatibus, & cum quibuscumque etiam derogationibus derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, & ex quacumque causa, etiam meritorum, seu remunerationis laborum, & onerum, & alias quomodolibet insimul, vel ad partes, & semel pluries, & quantiscumque vicibus, & modis concessa, innovata, & confirmata, eorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene, & sufficienter expressis habentes, prorsus, omnino, & irrefragabiliter moderamus, & ad terminos, modum, & tenorem, & formam ordinariam Indultorum testandi, seu alias disponendi, & respective ab intestato succedendi, omnibus aliis eisdem S.R.E. Cardinalibus concedi solitorum penitus, omnino, ac in omnibus, & per omnia reducimus. Revocantes, cassantes ac irritantes prorsus, & inane remanere, & fore mandantes, quidquid in Indultis ad favorem Cardinalium consanguineorum seu affinium, & forsitan aliorum, ut præfertur, contra, præter, vel ultra modum, & formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in prædictis servari solitam fuerit quocumque modo concessum, indultum, seu claritum, perinde, ac si præfata Indulta ad favorem prædictorum Cardinalium consanguineorum, vel affinium, & forsitan aliorum, ut præfertur, in hac parte, seu in his partibus non emanassent.

Mandatu servandi ordinariam formam in concedendis dd. Indultis, quæ alias nulla declaratur.

§.2. Ad hæc cupientes super præmissis, & circa ea similiter in posterum providere, Motu, scientia & potestatis plenitudine paribus statuimus, decernimus, & ordinamus, quod illud idem, quod superius circa concessa Indulta constitutum, & mandavimus, similiter in quibuscumque Indultis, & facultatibus hujusmodi, quæ deinceps singulis eisdem S.R.E. Cardinalibus Romani Pontificis pro tempore viventis, ut præfertur, consanguineis, vel affinibus, sive veris, sive adscitis, & adscitis, & forsitan etiam nonnullis aliis, etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores Nostros, dictamque Sedem Apostolicam pro tempore concedentur, omnino, & ad unguem debeat observari: Quodque hujus Indulta, seu omnes Literæ Apostolicæ desuper tam per Cancellariam, quam per Cameram Apostolicam, ac etiam per viam secretam, sive de Curia, vel sub Annulo Piscatoris, sive alias absque moderatione, reductione, aliisque præfatis, ac alias præter, vel contra formam, & tenorem presentis Constitutionis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam cum presentium speciali, & expressa derogatione, ac sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogationibus derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie pro tempore concedenda, seu expedienda, in ea parte, seu in illis partibus, quæ erant contra, præter, vel ultra formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in prædictis servari consuetam, nullius sint roboris, & momenti, nec cuiquam, ac si non emanassent, suffragentur.

Confirmatio ampliationis dd. Indultorum a Clem: IX. facta.

§.3. Ceterum perpendentes, universum eisdem S.R.E. Cardinalium Collegium tanquam Senatam Universalem Ecclesie in excolenda vinea

Domini Nobiscum assidue collaborare, ac propterea operæ pretium, ac congruum fore, ut omni personarum acceptatione sublata, eosdem omnes, & singulos Cardinales potius amplioribus privilegiis, & gratiis circa Indulta hujusmodi pariformiter complectamur, & communiemus. Cum itaque felic. record. Clemens Papa IX. Prædecessor Noster privilegia, & facultates testandi præfatorum S.R.E. Cardinalium ad illos etiam fructus extenderit, & ampliaverit, qui si naturales essent, & a solo, in quo sunt producti legitime, & juxta rei naturam fuissent sublatis, & a manibus Colonorum, vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis Ecclesiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum Cardinalium bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati repererentur, si vero civiles essent, postquam dies solutionis advenisset, fuissent per quoscumque debitores quomodolibet perfoluti, & ad manus, Cardinalium, vel eorum Ministros pervenissent, seu in aliquo loco publico ad eorumdem creditum fuissent depositi: Idque etiam idem Prædecessor servari voluisset in terminis quomodolibet debitis pro assiduis bonorum, & jurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendit voluit, & mandavit, si modo quo supra fructus tam civiles, quam naturales Conductoribus, & affectuariis locati, & concessi per illos fuissent percepti, quamvis termini solutionis affectuum per Locatores fuissent posticipate conventi, & alias prout in eisdem Clementis Cedula motus proprii sub Datum pridie Kal. Martii, Pontificatus sui anno primo, uberius continetur. Hinc est, quod motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus præfatum cedulam Motus proprii cum omnibus, & singulis in ea contentis, necdum amplissime, & plenissime confirmamus, & approbamus, sed quia accepimus eandem cedulam non fuisse pacifice observatam, seu illius executionem per varias interpretationes fuisse controversam, & retardatam, omnino volumus, & quibuscumque non obstantibus mandamus, illam inviolabiliter observari, & sublata quacumque contraria interpretatione omnimodæ executioni demandari, presentibus pro tempore existentibus Camera Nostre Thesaurario Generali, Clericis Præsidentibus, Commissario pariter Generali, cæterisque dictæ Camere Officialibus, & Ministris, & quibuscumque aliis enixe prohibentes, ne in totum, vel aliqua in parte etiam minima effectum, & executionem memoratæ Cedula Motus proprii, necnon presentis Nostre Constitutionis in hac parte quocumque modo impediant vel retardent, minusque ad prædictorum fructuum in præfata Cedula Motus proprii, ut præfertur, contentorum incamerationem procedant, nec pro illis aliquam compositionem, ratam, portionem, seu quantitatem, etiam minimam quomodolibet sub quovis prætextu, causa, quæsito colore, & contraria interpretatione consequi, seu pretendere valeant. Et nihilominus ad majorem cautelam omnia & singula, quæ in eadem Cedula continentur, hac in perpetuum valitura Constitutione iterum, & ex integro plenissime, & amplissime servari mandamus, decernimus, & sancimus, silva tamen, & firma in cæteris, quæ præfate Cedula dicti Clementis Prædecessoris non adveniunt, remanente Constitutione præm. Urbani Papæ VIII.